
DE NUMERO ORATORIO LATINO





A. W. DE GROOT

DE NUMERO ORATORIO LATINO

DE NUMERO ORATORIO LATINO

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOHANNIS FRANCISCI VAN BEMMELEN,

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. DECRETO PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

ALBERTUS WILHELMUS DE GROOT

GRONINGANUS

DIE I MENSIS FEBR. ANNI MCMXIX HORA IV

GRONINGAE — HAGAE COMITUM APUD J. B. WOLTERS

PARENTIBUS SACRUM.

Maximas vobis gratias et ago et habeo, professores clarissimi, tam Groningani facultatis philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum, quam Monasterienses Guestfalorum, quorum discipulus eram. Semper grata memoria remanebit annorum praeteritorum per quos lectionibus vel seminariis vestris interesse licebat.

At vero tibi, clarissime Van Wageningen, aestumatissime promotor, quantum debeam exprimere qui possum? Qui et historiam litterariam et artem grammaticam ratione vere historica et psychologica semper docuisti, in multis et vitae et disciplinae difficultatibus discipulorum magister atque amicus esse nunquam dubitasti.

Neque tuae comitatis oblitus sum, clarissime Boissevain, qui invitissimos discipulos hic reliquisti; qui ipse historicus idemque philologus tales nos quoque esse voluisti.

Tuarum autem lectionum, clarissime Vollgraff, tot annis post grata est memoria: in omni re suo uti iudicio et re docuisti et verbis.

Itemque multum tibi me debere, clarissime Weber, libenter confiteor. Temporum necessitates nobis maerentibus te hinc abripuerunt.

Nec non quam comiter peregrinum me quasi hospitio accipere non dubitaveris, clarissime Kroll, semper recordabor.

DE NUMERO ORATORIO LATINO.

PROOEMIUM.

De clausulae latinae origine usu natura paucis disseram, eamque ab initio iam non parvo profectam usque ad recentiorem persequar aetatem, atque qualis quoque tempore fuerit exponam. Breviter autem de re magna disputabo, ita ut ex magna copia rerum nonnullas maiores excerpam. Eo enim modo quae ad historiam numeri oratorii pernoscendam alicuius momenti sunt, tractabo reliqua omittens.

Sed ad numerum orationis cognoscendum alterutra via — neque ulla alia — progredi possumus: aut clausulam cum totius periodi structura comparando, aut cum oratione dissoluta numerosam orationem componendo. Quibus tamen viis procedere viri doctissimi non iam dignati sunt, adeo ut fundamenta investigationis nondum sint iacta. His igitur ipsis fundamentis iaciendis operam dare debebam, qui et aliquando illos corrigere et semper meo iudicio uti vellem. Quamobrem fundamentis usus sum his: èt rationibus ordinum brevium longarumque syllabarum, quibus apud Sallustium Ciceronem Livium sententiae terminantur, èt rationibus eorundem ordinum totas horum scriptorum sententias perlegenti obviorum, èt rationibus eorundem ordinum in scripto quodam numeris carenti [1]) obviorum, quibus periodi terminantur.

Cum autem clausula Latina maiore ex parte e numero oratorio Graeco originem trahere videatur, inter numerum Graecum Latinumque quid intersit, primum videndum.

Scriptorum Graecorum et Romanorum orationis numerosae magna est et differentia et congruentia. Utrique paucis clausulis frequentissime uti solent. Apud utrosque pedum atque numerorum, quibus plurimum utuntur, varietas paulatim decrescit. Item et hic et illic in metricae verborum

---

1) Sc. in versione Latina operum Gregorii Nyssensis (in 'Patrologia Graeca', t. 46mo).

compositionis locum rhythmus successit, qui fere omni careat varietate. Utrisque denique clausularum adhibitarum metrici rhythmicive pedes fere iidem fuerunt.

His tamen rebus inter se differunt. In lingua Graeca numerus inerat nativus quidam, Latinus vero sermo numerosus a Graeca oratione numerosa originem trahere videtur. Cicero saltem in clausulis deligendis atque adhibendis imitatus est Graecos. Cum autem omni fere prosae metricae Latinae Cicero fuerit exemplo, non est mirandum quod magis varius atque multiplex est Graecus numerus quam Latinus. Qua enim aetate haec ars apud Graecos floruit, syllabarum ordinibus aliis usus est alius. Apud Romanos tamen usque ab initio quasi inquilina erat clausula numerosa atque e Graecia invecta Romam eo tempore, quo iam omnis fere varietas clausularum ibi evanuerat. Ergo praeter paucos ii Romani qui numerose scribere studebant, ut Cicero et Seneca et Augustinus, iisdem fere omnes pedibus plurimum utebantur. Revera igitur clausula Latina Roma orta non est, id quod hac re potissimum illustratur, quod nullus scriptor Romanus, ut apud Graecos Plato, delectum clausularum omnem paulatim ipse mutavit. Itemque cum ex multis aliis rebus tum ex hac videmus tamquam alienam atque externam eos didicisse hanc Graecam artem, quod nonnulli eorum tam metrice quam dissolute solent scribere, velut Seneca et Tacitus, apud Graecos autem quicumque numerose scribere solent, ut Plutarchus, in omnibus scriptis, qualiacumque sunt, numeris utuntur. Thrasymachi autem quae supersunt num sint carentia numeris, alia autem scripta, quae non iam extant, numerosiora, id quod censet Norden[1]), vehementer dubito. Itaque magis Graecis hanc artem metricam rhythmicamve peculiarem atque propriam in animo et (ut ita dicam) in mentis functione secundaria[2]) quam Romanis haesisse est putandum.

---

[1]) Antike Kunstprosa 43. cf. De Groot, Handbook of antique prose-rhythm, p. 107—108.
[2]) Gross, Die cerebrelle Sekundarfunction.

Accedit quod delectus caesurarum qui in Romana clausula apparet, non extat in Graeca. Rhythmicae igitur clausulae Romanorum easdem habent caesuras quas eorundem metricae. Contra in rhythmo adhibendo Graeci admodum paucis caesuris magis quam ceteris delectabantur.

CAPUT PRIMUM.

Cum ea, quae supra exposui, intersint inter numerum Graecum et Latinum, quomodo alter alterum affecerit, primum videndum est. Ad hanc rem pernoscendam Ciceronis clausulae quae fuerit origo, quaeramus.

Quae clausula, ut multorum clausulis posteriorum est minus artificiosa — pedes enim vitiosos [1]) non tantopere fugit —, ita iucunde et apte cadens, numero adhibito quidem sed vario. In delectu autem numerorum nullum Romanorum videtur imitatus esse. Graecae artis et litterarum studiosus, Romanorum veterum horridam et incompositam orationem despiciens, ipse Romanis huius artis metricae auctor extitit. Magis enim quam artem rhetoricam proprie Romanam atque Romanam clausulam Graecorum elegantiam a Cicerone Romam introductam admirati esse atque imitati posteriores videntur. Quod est demonstrandum.

Sed ex Ciceronis usu colligere licet paucas clausulas numerosas ei visas esse. Sunt autem, ne omnes enumerem, hae:

1.	impulerunt	—⏑—⏑
2.	(sal)tare didicerunt	—⏑⏑⏑—⏑
3.	(potes)tate perfecerit	—⏑——⏑—
4.	(co)hortem praetoriam	————⏑—
5.	(ver)bo voluptatis	—⏑——⏑
6.	omne vulneribus	—⏑—⏑⏑⏑

Quae utrum cum numeris a Graecis frequenter adhibitis congruant, primum videndum est. Congruunt sane cum clausulis eius aetatis quam hellenisticam appellant. Cuius temporis apud scriptores usitatiores erant hae clausulae:

---

1) Velut ————.

(Θάψασαί) τινα τρόπον ⏑⏑⏑— (paeon)
τοῖς Διὸς ἀετοῖς —⏑⏑—⏑⏑ (didactylus)
1. εἰσιόντι —⏑—⏑
5. (ποι)εῖ δὲ μαίνεσθαι —⏑——⏑
3. ἐκκέκοπται πόλις —⏑——⏑—
2. (πό)λιν καταλιπόντες —⏑⏑⏑—⏑

Quibus omnibus plurimum utitur Cicero, solos paeonem atque didactylum studiose fugit. Quorum paeon, ut Graecis communis et facilis, ita a Romana oratione erat alienus; quanta enim illic erat frequentia, tanto hic studio ubique vitata est. Didactylus autem uni Hegesiae [1]) Magnesio minus apte cadere videbatur. Cuius e fragmentis haec sunt conferenda [2]):

Τί δεῖ λέγειν Ὀλυνθίους καὶ Θηβαίους, οἷα κατὰ πόλεις ἀποθανόντες πεπόνθασιν (—⏑———).

Ὅμοιον πεποίηκας Ἀλέξανδρε, Θήβας κατασκάψας (—⏑———), *ὡς ἂν εἰ ὁ Ζεὺς ἐκ τῆς κατ' οὐρανὸν μερίδος* (—⏑—⏑⏑) *ἐκβάλοι τὴν σελήνην* (—⏑——⏑——)· *ὑπολείπομαι γὰρ τὸν ἥλιον ταῖς Ἀθήναις* (—⏑——⏑——). *Δύο γὰρ αὗται πόλεις τῆς Ἑλλάδος ἦσαν ὄψεις* (—⏑⏑—⏑——). *Διὸ καὶ περὶ τῆς ἑτέρας ἀγωνιῶ νῦν* (—⏑——). *ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν ὀφθαλμὸς ἡ Θηβαίων ἐκκέκοπται πόλις* (—⏑——⏑⏓).

Τόπος δὲ πῶς γένοιτ' ἄβατος βάτου περικειμένου (—⏑⏑—⏑⏑);

Τῆς μὲν πόλεως κατασκαφείσης οἱ μὲν ἄνδρες παίδων συμφορὰς ὑπομένουσιν (—⏑⏑⏑—⏑), *αἱ δὲ γυναῖκες μετήχθησαν εἰς Μακεδονίαν* (⏑⏑⏑—), *τὴν πόλιν θάψασαί τινα τρόπον* (⏑⏑⏑⏓).

Congruunt igitur numeri Ciceronis cum Hegesiae numeris maiore ex parte, nec cum ullo alio scriptore Graeco congruentia magis perspicua est, quod sciamus Aliquid tamen inter eos interest: clausula enim

[1]) De Groot, Handbook p. 128—129.
[2]) Scriptores rerum Alexandri Magni, ed. C. Müller, p. 140.

—⏑——⏑— (3) nisi semel apud Hegesiam non occurrit, neque illam ————⏑— (4) ullo loco apud eum videmus. Quae clausulae in lingua Graeca neque aetate Ciceronis neque ante eum nisi apud Platonem adhibitae esse videntur. In hoc tamen Ciceronem Platonis clausulam imitatum esse verisimile non est, cum multum intersit inter eorum numerum: Platonem enim ordinem —⏑—⏑ maxime fugisse constat. Equidem censeo secutum esse eum in hac re magistros suos quosdam Graecos, quorum scripta non iam supersunt, neque totum numerum eius oratorium ab Hegesia originem trahere [1]).

Ciceronem in hac re primum clausulam vere 'Asiaticam' praebere maxime verisimile est. Scriptores enim qui ante eum fuerunt, velut C. Fannius, Q. Caecilius Metellus, C. Papirius Carbo, L. Licinius Crassus, saepe clausulas ————, —⏑⏑—⏑, —⏑—⏑—, —⏑⏑——⏑ adhibere videntur (Norden p. 172—177), quae ubi apud scriptores Graecos occurrant, non video [2]). Aliter de hac re alius iudicaverit; hoc tamen constat: extitisse post Ciceronem duo modo genera numerorum: alterum quod cum numeris Graecis nullam praebeat similitudinem, alterum quod Ciceronis numerosam compositionem sit imitatum. Imitantur autem Ciceronem in hac re Suetonius Apuleius aliique multi, sive ipsum Ciceronem, sive Ciceronis imitatores secuti sunt. Quo efficitur ut neque quisquam posteriorum illos antiquos sit imitatus, neque ipse Cicero, qui nisi Graeca nulla fere exempla praebeat clausularum.

Cum autem Cicero et hanc Graecam artem in linguam Latinam introduxerit et fere omnes posteriores habeat

---

1) E. Müller, De num. Cic. Diss. Berl. 1886, p. 55; E. Norden, Die Antike Kustprosa[2] 931, qui in his rebus saepe est corrigendus.

2) E. Müller p. 55—56, Bornecque, La prose métrique p. 75; Marx, Auct. ad Herennium p. XCIX, Wilamowitz Hermes 1900 p. 36—37. Cf. Norden, p. 172 sqq; 177, 1; 930, qui quaslibet clausulas esse pulchras vel 'Asiaticas' iudicat velut —⏑⏑—⏑, —⏑⏑——⏑, ————, —⏑—⏑— (p. 172—177).

huius rei imitatores, fuere tamen ante eum qui modum et numerum quendam in oratione servarent neque in ea re barbaros magistros haberent. Quod ad bene intellegendum primum nobis investigandum est, qua sint frequentia apud Sallustium [1]) Ciceronem Livium varii atque diversi ordines syllabarum, quibus sententiae terminantur, deinde qua frequentia per totas horum scriptorum sententias idem ordines syllabarum, tum qua idem ordines in oratione numero carente. His demum inter se comparatis leges metri Sallustii atque aliorum quae fuerint, explicari potest. Sunt autem clausulae Ciceroni maxime gratae hae, ordinem servantes talem ut meliorem quemque sequatur minus apte cadens; quod certis computationibus, quas nos ‘quotientes’ dicimus, indicatur de quibus alio loco fusius disputavi [2].)

—⏑⏑—⏑—⏑	3·1 (+)
⏑⏑⏑——⏑—	3·0
⏑⏑⏑——⏑—⏑	2·6
—⏑——⏑—⏑	2·5
—⏑⏑⏑—⏑	2·4
—⏑——⏑—	2·0
————⏑—⏑	2·0
—⏑⏑——⏑—⏑	1·8
————⏑—⏑—	1·8
————⏑—	1·6
—⏑——⏑	1·6

Eodem modo clausulae quas fugit hic sunt propositae, ita ut vitiosiorem quemque sequatur minus vitiosa:

---

1) Carbonem, Crassum, cet. hic praetereo, de quibus alio loco disseram.
2) De Groot, Handbook p. 36—39, 148; infra.

	—————	4·3 (–)
	⏑⏑⏑—⏑⏑⏑	4·0
	—⏑⏑—⏑	3·2
	——⏑⏑⏑	3·1
	⏑————	2·8
	—⏑⏑——⏑	2·7
	⏑⏑⏑—⏑⏑	2·2
	—⏑⏑—⏑⏑	2·1
	—⏑—⏑—⏑	2·0
	⏑⏑⏑⏑	1·8

Sallustii autem numerus quantum ab illo distet, ex hac ratione facile intellegere possumus:

(1)	—⏑——⏑—	1·6 (+)
(2)	——⏑⏑—!	1·5
(3)	—⏑⏑—⏑!	1·5
(4)	————!	1·4
	—⏑—⏑—	2·3 (–)
	⏑⏑⏑—⏑	2·2
	—⏑——⏑!	1·8
	—⏑—⏑⏑⏑!	1·8
	—⏑—⏑!	1·7

Livii autem clausula ex hac ratione cognoscitur:

(2)	——⏑⏑—!	2·0 (+)
	⏑⏑⏑——⏑	1·5
(4)	————	1·4
(3)	—⏑⏑—⏑	1·4

Quae ad illustranda haec exempla sufficiant. (*Cicero*, De natura deorum, ed. O. Plasberg, Lipsiae, 1911, I § 72).

'Ista enim a vobis quasi dictata redduntur (—⏑,——⏑), quae Epicurus oscitans halucinatus est (———⏑—⏑—), cum quidem gloriaretur (—⏑——⏑), ut videmus in scriptis (—⏑———), se magistrum habuisse nullum (—⏑⏑—⏑—⏑). quod ei non praedicanti tamen facile

equidem crederem, sicut mali aedificii domino glorianti se architectum non habuisse (—,⏑⏑—⏑); nihil enim olet ex Academia nihil [ne] ex Lycio, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis (—⏑——⏑——).'

(73:) 'sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus (—⏑⏑⏑—⏑): ita metuit ne quid umquam didicisse videatur (—⏑⏑⏑—).'

(73:) 'Nunc istuc quasi corpus et quasi sanguinem quid intellegis (—⏑——⏑⏓)?'

(Sallustius, Coniuratio Catilinae, ed. A. W. Ahlberg, Gotoburgi — Lipsiae, 1911, 52, 2):

'Longe alia mihi mens est, patres conscripti (————), cum res atque pericula nostra considero (—⏑——⏑—), et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo (——,⏑⏑—). illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare (———⏓). nam cetera maleficia tum persequare ubi facta sunt (—⏑——⏑—); hoc nisi provideris ne accidat (—⏑——⏑⏓), ubi evenit, frustra iudicia implores (—⏑⏑———): capta urbe nihil fit reliqui victis (—⏑⏑———). sed, per deos immortalis (————), vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam rem publicam fecistis (———⏓): si ista, cuiuscumque modi sunt quae amplexamini retinere (—⏑⏑—⏑), si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam.'

(Livius, ed. M. Müller, Lipsiae 1906, ed. stereot. l. IV, c. 61, § 6).

'Artena inde, Volscorum oppidum, ab tribunis obsideri coepta (———⏓). inde inter eruptionem temptatam compulso in urbem hoste occasio data est Romanis irrumpendi (———⏓), praeterque arcem cetera capta (—⏑⏑,—⏑);

in arcem munitam natura globus armatorum concessit (————⏒); infra arcem caesi captique multi mortales (————⏒). arx deinde obsidebatur; nec aut vi capi poterat (—⏑—⏑⏑⏑), quia pro spatio loci satis praesidii habebat, aut spem dabat deditionis omni publico frumento, priusquam urbs caperetur, in arcem convecto (—————); taedioque recessum inde foret, ni servus arcem Romanis prodidisset. Ab eo milites per locum arduum accepti cepere (————⏒); a quibus cum custodes trucidarentur (————⏒), cetera multitudo repentino pavore oppressa in deditionem venit (————⏒). diruta et arce et urbe Artena reductae legiones ex Volscis (—————) omnisque vis Romana Veios conversa est (—————). proditori praeter libertatem duarum familiarum bona in praemium data; Servius Romanus vocitatus (—,⏑⏑—⏑).'

Ex his manifeste apparet eas clausulas, quae apud Ciceronem frequentiores vel potius numerosiores sunt, vitasse Sallustium fere omnes, ut —⏑⏑—⏑—⏑, —⏑——⏑—⏑, —⏑——⏑, —⏑—⏑. Contra iis quas vitiosas Cicero censet, delectatur Sallustius.

Sallustius et Livius quin numerose scribere studuerint, dubitari non iam potest. Quorum numeri inter se multum congruentes a Ciceronis numero multum differunt, neque cum ullius alterius scriptis videntur convenire [1].

Optandum sane est ut mox quis, quod ad Ciceronem attinet, illud Zielinskii de clausulis opus ea ratione renovare atque redintegrare velit, ut ordinum syllabarum quae sententiam claudant variorum frequentiae cum eorundem totum periodorum tractum tenoremque complectentium frequentia comparationem instituat, utque non modo quanto quaeque favore clausula fruatur investigare velit, sed etiam intra hanc ipsam clausulam quae sit naturalis, quae artificiosa structura compositioque verborum.

---

[1]) Ne in 'Agricola' quidem Tacitus Sallustianos numeros imitatus est.

Unam autem atque eandem rem videre licet tam in Seneca quam in Tacito, sc. hanc: alia opera esse numerosa, alia eiusmodi ut numerum omnino non curent. Numerosi sunt Senecae Dialogi et Epistulae, Dialogus de oratoribus Taciti: dialogus enim tam Graecorum quam Romanorum numerosus fere est. Dissolute autem Apocolocuntosis, eodemque modo Taciti Historiae, Annales, Agricola, Germania composita sunt. Contra Plutarchi et Vitae et Scripta moralia numeris apte eleganterque ornata. Taciti sermo historicus antiquam concinnitatem verborum nec non tam Ciceronis quam Livii verborum compositionem numerose fluctuantem despicere videtur.

Cum igitur hae sunt clausulae apte numeroseque cadentes, quare his potissimum sint delectati scriptores, quaestio oritur, quam solvere conatus esse iam Aristoteles videtur. Ait enim in arte rhet. (III, 8, 4):

'τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα, λείπεται δὲ παιάν', etc.

Sed causae atque rationes huius rei èt aliae fuisse videntur èt hae tres: 1. studium versus in oratione vitandi, deinde 2. cavendi ut in clausula rhythmus descenderet et vox remitteretur, tum 3. ut eiusdem pedis repetitionem clausula contineret.

1. si enim hodie nobis in oratione soluta versus foedus vitiosusque videri solet, quanto magis antiquis! Fugit clausulam heroicam Plato; quae quo posterior quis dialogus est, eo minus in eo frequens. Primus in hac re Plato, sequuntur alii, nec tamen Livius Sallustiusque. Cicerone demum huius artis magistro existente omnibus tamquam foedissima vitatur atque omnino evanescit. Quae causa prima est.

2. Praeter Ciceronem autem hanc clausulam ⏑—⏑— omnes fere vitant, itemque omnes ⏑⏑—⏑⏑—; ditrochaeum autem omnes Platone uno excepto adhibent frequentem. Frequens apud plerosque ——⏑——⏑; frequens aetate hellenistica —⏑⏑—⏑⏑; grata Ciceroni —⏑⏑—⏑—⏑.

3. est etiam alia causa, quae rhythmicam ut ita dicam clausulam efficiat: quae est eiusdem pedis iteratio, ut in ditrochaeo —⏑—⏑, vel didactylo —⏑⏑—⏑⏑, vel dicretico —⏑——⏑—, vel denique palimbacchio ——⏑——⏑.

Quae causae atque metri leges neque in Sallustio neque in Livio similiter valent atque in ceteris. Quorum uterque, si universe loqui mihi licet, delectatur rhythmo dactylospondiaco claudente sententiam (—⏑⏑—⏑, ————, ——⏑⏑—); Livius autem toti quoque ut ita dicam tractui tenorique periodorum hanc legem imponere studet.

Restat ut videamus unde hic usus Livianus heroae clausulae atque rhythmi dactylici originem trahat. Quae res aliter intellegi posse non videtur nisi ex heroico versu. Ut enim Plato, compositionis diligentissimus, in Phaedro tragicorum sonum atque numerum aemulatur, ut in orationibus Demosthenes neque choris tragoediae neque Homericis versibus est omnino dissimilis, ita Sallustius et Livius poetarum heroicorum numerum videntur esse aemulati. Atque ut idem Livius e versibus Vergilianis carpit atque delibat vocabula elegantia et flosculos orationis, ita numeris Vergilianis passim utitur apte atque eleganter.

Sed tam singularis tamque Graecorum numero dissimilis Livii atque Sallustii clausula est, ut sane proprie Latina esse videatur.

CAPUT SECUNDUM.

Sed numerose cadentis sententiae quae sit caesura, nunc est videndum. Atque in hac re, ut in ceteris, modo quae certissima esse videntur perscrutemur, ita ut de quattuor tantum clausulis loquamur, sc. his: —◡——⏓, —◡——◡⏓, ——◡◡⏓, —◡◡—⏓.

Clausula —◡——◡ autem Sallustium neque usum esse frequenter neque caesuram vel structuram eius verborum curavisse satis constat, Ciceronem vero structuram hanc:

'(nobili)tate praeferrent' —◡,——⏓

aliis videmus praetulisse. Quo facto aliarum huius ordinis metrici structurarum:

,—◡——⏓ et —,◡——⏓ et —◡—,—⏓ et —◡——,⏓ frequentia decrescit *aequaliter*, neque ita ut earum alia alii postposita esse videatur. Neque verbi gratia Cicero structura hac: '(om)nes amicorum' —,◡——⏓ magis quam illa 'omnibus ferrent' —◡—,—⏓ delectatur; qua ex re luce clarius apparet immerito a Zielinskio omnem hanc structurarum vel caesurarum fere frequentiam infrequentiamve diaereseos (—◡— | —◡) timori cuidam esse attributam.

Nec meliore sane ratione probantur quae de usu longarum vocum in clausula minus frequenti Leo scripsit.[1]) Quod enim poetae Ciceronis aequales atque posteriores hexametri hunc finem:

'omnes peragrare' ...—⏑⏑—,◡◡—⏓

neque minus illum:

'omnes continuere' ...—⏓⏓,—◡◡⏓

vitant, id e praeceptis quibusdam rhetoricis de numero oratorio datis interpretatur, quae haec verba longiora

---

1) Programm Göttingen 1892/3, De Stati Silvis p. 7.

('peragrare ⏑⏑—⏓; continuere —⏑⏑—⏓ taliaque) a clausula aliena esse voluerint. Neque aliter censet Norden[1]):

'Dass diese der archaischen Poesie unbekannten Regeln in frühciceronianischer Zeit aus den Gesetzen für den prosaischen Satzschluss abgeleitet und soviel wir wissen zuerst von Cicero (mit wenigen und meist motivierten Ausnahmen) befolgt werden sind, hat Leo, Göttinger Prooemium 1892/3 p. 7 ff. festgestellt.' Die besonders entscheidende Stelle Quintilian IX 4,65 hatte schon W. Meyer[2]) herangezogen, in seinen späteren Untersuchungen aber zu gunsten einer andern Erklärung fallen gelassen.'[3])

Cum autem et ipse Cicero haec verba longa fugiat in versibus suis, in oratione tamen non vitet, et alio tempore vitatio verborum: ,—⏑⏑—⏓ in hexametro, alio horum: ,⏑⏑—⏓ vel clausulae —,⏑⏑,—⏓ orta sit, in hac re Leoni assentiri minime possumus.

Sed ad clausulae conformationem revertar. Fugit Livius illud '*nobilitate praeferrent*' ut fini periodi minus aptum, qua in re corrigendo Tullium aemulari videtur.

Qualis clausulae —⏑——⏑, talis fere clausulae —⏑——⏑— caesura communis est. Structura enim haec —⏑, ——⏑—, ut id ipsum quod modo scripsi '*caesura communis est*' et a Cicerone et a Sallustio plurimum adhibetur, neque illam —⏑—,—⏑— (quam 'diaeresin' Zielinskius vitatam esse vult) ab iis esse vitatam satis constat. Itemque hanc clausulam —⏑——⏑— (ut illam —⏑——⏑) fugit Livius, qui aut hic quoque fortasse aemulandi causa Ciceronem corrigere conatur, aut alio atque Cicero numero uti studet.

Clausulae ——⏑⏑⏓, ut '*omnis numeri*' ad conformationem recte iudicandam exempla a me collecta non

---

[1]) Aeneis Buch VI[2], p. 437.

[2]) Quae via atque ratio argumentandi minime approbanda est, cum in talibus rebus iudicandis praecepta antiquorum pro nihilo habenda sint. Cf. De Groot, Handbook p. 102—105.

[3]) W. Meyer, S. B. München 1884, p.

sufficiunt. Fugiunt autem non modo monosyllabum in fine positum Livius et Sallustius (ut hoc: '*pergere vult*'), sed etiam pyrrhichium (ut hoc: '*correxisse velit*'); tribrevi tamen delectantur (ut: '*omnes legere*' vel '*omni numero*'). Quo efficitur frequens ille sententiae exitus Livianus: 'habuit', 'numerus', 'attulerint', 'statuit', 'rediit', etc.[1])

Sed iam transeamus ad heroum metrum, quod pernoscere ad genus illud alterum oratorii numeri recte iudicandum magni momenti est. Livio enim cum Sallustio clausularum: '*hostes patiantur*' et '*urbibus essent*' (—,◡◡—⏓ et —◡◡,—⏓) frequens usus communis est. Non igitur vitatur clausula heroa — immo plurimum adhibetur — sed vitatur structura haec: 'esse liceret' —◡,◡—⏓, hoc est brevium syllabarum disiunctio. Cuius rei ratio atque causa eaedem sunt atque clausulae '*omnis numeri*' ——,◡◡⏓ frequentis usūs, illius autem '*non omne velit*' ——◡,◡⏓ infrequentis, neque aliae nisi vitandae in versibus quibusdam duarum brevium syllabarum disiunctionis ratio. Longe autem aliter Ciceronis usus se habet. Qui clausula heroica non utitur nisi vera atque sincera. Solas enim clausulas —,◡◡—⏓ atque ,—◡◡—⏓ non ille quidem vitat, sed raro adhibet.

Sequitur ut videamus, quae sit natura atque causa harum caesurarum usus Ciceronis proprii. Quae res non facile est exploratu neque explicatu. Quam timori diaereseos attribuere vult Zielinskius, quo clausulae illae —◡——◡ et —◡——◡— 'Cäsurklauseln' factae sint (h. e. caesura —◡,——◡ vel —◡,——◡— ceteris praelata sit.) Asseveratque hanc timendi atque evitandi legem ('Scheu vor der Diärese') valere in ordinibus —◡——◡ atque —◡——◡—, non tamen in hoc : —◡——◡—◡ neque in aliis. Quae qua ex causa ita se habeant non addit.

Equidem credo neque Zielinskium neque alios hanc quaestionem recta via aggressos esse, quippe qui versuum

---

1) De Groot, Handbook p. 140.

clausulae comparationem instituere neglexerint. Eundem autem in errorem ne incidamus, res sane notissimas repetere liceat.

Trimeter qui tragicus vocatur caesuras clausulae peculiares praebet. Vitatur enim pausa illa Porsoniana, quae est ante vocabalum trisyllabum, hoc est creticum, postremum, post syllabam autem postremam longam vocabuli polysyllabi a postremo quartam, eamque longam. Cuius legis Porsonianae [1]) causa atque natura adhuc ignota. Neque enim aliis hanc legem interpretari conantibus assentiri possumus, neque doctissimo viro K. Witte, qui nuper de ea sententiam exposuit.

Epicorum enim poetarum aetatis quam vocant hellenisticae clausulas versuum cum eorundem versuum caesuris cohaerere recte sane ingenioseque demonstrat [2]), itemque legem Porsonianam cum caesura trimetri cohaerere censet.

At valet Porsoniana lex in iis quoque versibus trimetris, in quibus nulla caesura inest neque penthemimeres neque hephthemimeres, contra inest caesura aut penthemimeres aut hephthemimeres in iis versibus quamvis rarissimis, qui Porsonianam legem non curant, ut in his:

Aesch. Sept. 456:
καὶ μὴν τὸν ἐντεῦθεν λαχόντα πρὸς πύλαις vel Soph. Ant. 679:
κρεῖσσον γὰρ, εἴπερ δεῖ, πρὸς ἀνδρὸς ἐκπεσεῖν vel Eur. Hipp. 413:
μισῶ δὲ καὶ τὰς σώφρονας μὲν ἐν λόγοις

et in his:
·Eur. Heracl. 530:
καὶ στεμματοῦτε καὶ κατάρχεσθ', εἰ δοκεῖ.
Eur. Ion 1.
Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανόν.

---

[1]) De qua alio loco copiosius disseram.
[2]) Hermes 1914, p. 236, 229 A[1]).

Caesura ergo trimetri tragici et pausa Porsoniana inter se non cohaerent.

Adde quod: 1°. syllabă a postremā quartă etiam in iis trimetris qui in trisyllabum non cadunt fere brevis est.

2°. ii versus trimetri qui trisyllabo terminantur in longam fere cadunt syllabam.

3°. etiam in iis versibus in quibus brevis est quarta a fine syllaba, trisyllabum quod terminet versum fugitur; ut in his:

Eur. Hel. 60 et 606

βέβηκεν ἄλοχος σὴ πρὸς αἰθέρος πτυχάς
ἀρθεῖσ' ἄφαντος · οὐρανῷ δὲ κρύπτεται (non —◡◡).

Quid ergo? Num haec, quae sunt trimetri propria, Porsonianae legis cum caesura versus cohaerentiam videntur indicare? Immo vero:

Clausula trimetri rhythmi ascendentis naturam tam syllabarum quantitate quam compositione verborum conservare conatur.

Potissimum enim poeta his utitur clausulis:

◡—,◡—◡— (Eur. Or. 635)
ὅποι τράπωμαι τῆς τύχης ἀμηχανῶ,
vel ◡--,◡—,◡— (Eur. Or. 655)
ἀπότεισον οὖν μοι ταὐτὸ τοῦτ' ἐκεῖ λαβών.
Minus libenter utitur hac:
◡—◡,—◡— (Eur. Or. 666)
ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν.
Vitat autem illud:
◡—◡,—◡◡ (Eur. Or. 538)
θυγάτηρ δ' ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα,
Atque etiam magis fugit hoc:
◡——,—◡⏓ (Eur. Ion. 1).
Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανόν.
haec est pausa Porsoniana.

Ad hoc igitur studium favendi rhythmo ascendenti legis Porsonianae interpretatio revocanda est. Accedit etiam quod haec eadem in clausula hexametri Latini occurrunt. Quid enim? Conformationem hexametri propriam atque peculiarem apud Ciceronem primum observare licet, post eum apud Vergilium aliosque multos. Qui omnes vitant hanc clausulam:

Verg. Ecl. VII 35, Georg I 18:

nunc te marmoreum pro tempore fecimus: — at | tu
tum variae illudant pestes : saepe exiguus | mus

Lucr. III 71:

lamentis gemituque et femineo | ululatu.

Vitant igitur et —⏑⏑—,⏓, et —,⏑⏑—⏓, et —,⏑⏑,—⏓, et ———⏓.

Minore iure Eduardus Norden verba quattuor syllabarum in clausula vitavisse eos credit [1]). Non enim haec ipsa verba longiora ⏑⏑—⏓ vitare voluerunt, sed caesuras quae tali usu exsisterent. Quod facile intelleget qui et hanc quoque clausulam

—⏓⏓—,⏑⏑,—⏓ [2])

rarissimo adhiberi, neque eodem, quo clausularum

—⏑⏑—,⏑⏑—⏓

atque —⏑⏑—,⏑⏑,—⏓

tempore, illam quinquesyllaborum vitationem exstitisse [3]), neque clausulae caesuram hanc

—⏑⏑ | —⏑⏑—⏓ fugi perspexerit:

(Manilius V 563)

'per quae dirigitur signorum flammeus ordo'.

Fugitur ergo haec caesura —⏑⏑— | ⏑⏑—⏓, *animumque* vel *ita fatur* in fine versus.

---

1) Vergils Aeneis VI², p. 454.
2) Itemque ...—,⏑,⏑—⏓, vel ...—,⏑⏑—,⏓.
3) W. Meyer, Sitz.-Ber. München 1884, Phil.-hist. Klasse p. 1040: 'Die fünfsilbigen Schlusswörter und die gleichwertigen viersilbigen wie frondosai haben mit dem zu meidenden Wortschlusz in der 5. Hebung nichts zu schaffen, und finden sich deshalb eine Zeit lang ungestört'.

non tamen haec —⏑⏑ | —⏑⏑⏑—⏓; *flammeus ordo.*
fugitur verbum postremum hoc: —⏑⏑⏑—⏓
non tamen hoc: ⏑⏑⏑—⏓.

In quibus de nulla alia re agitur nisi de eo quod in trimetro animadvertere licet. Fugitur in trimetro ⏑—⏑——,—⏑—, hic autem —⏑⏑—,——⏓. Illic clausulis ,⏑—,⏑— vel ,⏑—⏑— plurimum utuntur, hic frequens clausula —⏑⏑,—⏑ vel —⏑,⏑—⏓. *In clausula* igitur *hexametri rhythmi descendentis naturam tam syllabarum quantitate quam compositione verborum, hoc est caesura, servare student.*

Eandem autem legem in numero oratorio Ciceronis inter alias valere facile intellegi potest. Ubi tres potissimum causae caesurarum frequentiam infrequentiamve efficiunt, sc. hae:

1. Cohaerentem atque integrum servare voluit totius versus tenorem vel rhythmum. Vitiosum autem in trimetro hoc:

ἐπήλυδας τιμῶν ἀπώλεσας πόλιν
⏓—⏑—⏓— | ⏑—⏓—⏑— (Aesch. suppl. 401).

et hoc

Φιλόξενος, Μελησίας, Ἀμυνίας
⏓—⏑— | ⏓—⏑— | ⏓—⏑— (Arist. Nub. 686)

itemque in hexametro illud

—⏑⏑—⏑⏑—⏑⏑ | —⏑⏑—⏑⏑—⏓

et illud

—⏑⏑—⏑⏑ | —⏑⏑—⏑⏑ | —⏑⏑—⏓.

Eadem autem ratione in clausula oratoria minus aptum hoc:

omnibus civibus dicerent (—⏑— | —⏑— | —⏑—)
vel hoc *omnibus civibus dicit* (—⏑— | —⏑— | —⏑).

2. Rhythmum descendentem servare voluit Cicero caesura vel compositione verborum. Quae lex eadem inest et in pausa Porsoniana et omnino in trimetro, et in hexametro Latino. Numerosa igitur haec clausula:

esse dicit —⏑ | —⏑

vel haec procerior: *debitos esse dicit* —⏑— | —⏑—⏑

vel haec: *esse deberet* —⏑ | ——⏑

vel haec: *esse desisteret* —⏑ | ——⏑⏓

Quae est causa, cur in illis clausulis —⏑——⏑ et —⏑—— — timor ille diaereseos existat neque in hac: —⏑——⏑—⏑.

3. Alia quoque est causa cur nonnullis caesuris sit usus, quae illis quas iam memoravi causis contraria possit videri: passim enim numerum atque ordinem descendentem non modo non servare, sed etiam quasi invertere studet. Quod fieri solet ubi id agitur ut propria natura numeri dissimuletur et lateat. Ubi enim clausula: —⏑⏑—⏓ adhibetur, ne heroicum sonet, maxime cavendum est. Admittit igitur quamvis dubitanter structuram hanc: 'constituissent' (.....,—⏑⏑—⏓), vel 'latens volitabat' (..—,⏑⏑—⏓), quas in hexametro adhibere non licet, ne vitiosior clausula exsistat.

CAPUT TERTIUM.

Iam antequam relicto aetatis Ciceronianae oratorio numero ad posteriores scriptores transeamus, de ipsius Ciceronis praeceptis rhetoricis quae quidem ad hoc pertinent, pauca dicenda sunt. Nec quicquam in hac re magis perspicuum nec non mirandum, quam quod ipse ea neglegit quae praecepit. Quod qui dissimulare volunt, horum praeceptorum neque naturam neque originem perspicere videntur. Ait autem Cicero in Oratore, ut quae modo dixi exemplo illustrem, haec (§ 193, Clark, Fontes prosae numerosae p. 20):

'Ita paeana probat (Aristoteles) eoque ait uti omnis, sed ipsos non sentire cum utantur; ... (§ 194) Atque haec, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeane dicuntur. Ego autem sentio omnis in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes, ... (§ 196) Sit igitur ut supra dixi, permixta et temperata numeris (oratio) nec dissoluta nec tota numerosa, *paeane maxime, quoniam optimus auctor ita censet*, sed reliquis etiam numeris quos ille praeterit, temperata.'

Atque in eodem libro (§ 215, Clark § 23): 'Sed sunt clausulae plures, quae numerose et iucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa et brevi et longa, et eius aequalis paean, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem inligari, cum sit duplex. Nam aut e longa est et tribus brevibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo, *aut e totidem brevibus et longa in quem optime cadere censent veteres; ego non plane reicio, sed alios antepono.*'

Quae quomodo cum prioribus verbis congruant, non video. Illic enim paeana commendat, hic eundem censet esse fugiendum. Illic, ut saepius, a Graecis mutuatur opinionem atque ut suam profert, hic suo utitur iudicio. Vitat

autem paeana ut vix ullum pedem, optimo ab auctore deficiens. Quod sufficit ut videamus, cuiusmodi praeceptorum illorum natura sit. Duplici enim origini illa Ciceronis praecepta tribuenda sunt. *Alia* enim Graecorum sunt (ut Aristotelis, Theophrasti, Ephori, Theodectae); quibus est adscribenda paeanis illa laudatio, quae non modo occurrit, ubi Aristotelem laudat (Clark p. 20; Orator § 194): 'paean autem minime est aptus ad versum, *quo libentius eum recepit oratio*', sed etiam alibi (§ 195) ubi suis verbis atque suo iudicio uti videtur: 'ego autem sentio ... paeane maxime etc'. *Alia* praecepta ipsius Ciceronis sunt, quae et hic in Oratore occurrunt, ut illa: 'ego non plane reicio (sc. clausulam ⏑⏑⏑—) sed alios antepono' et alibi (Orator § 218, Clark § 24): 'Iam paean, quod pluris habeat syllabas quam tris, numerus a quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnis constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti, *quo loco mihi videtur aptior creticus*'.

Sponte oritur quaestio quaenam sit causa atque origo huius mirae revera discrepantiae. Quas exsequi iam non erit difficile. Cicero enim merito Graecos sibi magistros esse censuit. A quibus tamen nonnunquam recedere non dubitavit, ubi natura atque ratio linguae Latinae hoc poscere videbatur, ut in paeane et fortasse in didactylo, quos quamvis Graecis essent communes adhibere noluit. Neque autem in omni re numeri oratorii Graeci naturam perceptam habebat, neque regulae, ad quam periodorum structuram atque clausularum dirigere solebat, ipse sibi erat conscius. Vituperat enim eum qui paeana dixit aptiorem in quo esset longa postrema (Orator § 218, Clark p. 24). 'Vidit parum, quoniam nihil ad rem est, postrema quam longa sit', ac paulo ante (§ 217): 'nihil enim interest dactylus sit extremus an creticus, quia postrema syllaba brevis an longa sit ne in versu quidem refert'. Multum sane refert postrema syllaba longane an brevis sit, et in

versu[1]) et in oratione: utitur enim Plato clausula ⏑⏑⏑— exspectatione frequentius, hac autem ⏑⏑⏑⏑ multo minus frequenter[2]), itemque saepius hac —⏑——⏑— quam —⏑——⏑⏑. Quod parum vidit Cicero[3]). Ac ne ipsum quidem suum numerum satis eum cognosse atque perspectum habuisse ex eo apparet, quod in clausulis iucunde numeroseque cadentibus enumerandis cretici iambo aucti (—⏑——⏑) mentionem non fecit[4]), fecit autem huius clausulae: ⏑—,—⏑, neque antecedentem syllabam (⏓⏑——⏑) curare videtur, quae longane sit an brevis multum refert.

---

1) Ut in pentametro; cf. De Groot Handbook p. 122.
2) Handbook p. 62—64, 191.
3) Itemque Münscher, Berl. Phil. Wochenschr. 1914, col. 463.
4) Orator § 217.

CAPUT QUARTUM.

Sequitur ut qualis clausula post Ciceronem fuerit, disputemus. De qua tamen universe loqui quis possit, cum omnes desint dissertationes, quae ita de ea agant, ut cum oratione non numerosa numerosae prosae comparationem instituant diligenter? Quomodo autem de altitudine quercus iudicare quis audeat nullius arboris neque ullius rei altitudine comparata? Quod quantopere sit insanum propositum, nemo non intelleget.

Quamobrem duas modo quaestiones latius persequar. Quarum altera pertinebit ad prosam non iam metricam sed rhythmicam Latinam et Graecam, et quaeretur, quae ratio inter eas intercedat et unde originem trahant; altera de scriptoribus Latinis Ciceronis aetate posterioribus aget, utrum Ciceronem solum imitati sint, an etiam Graecos voluerint magistros habere. Iam aggrediar priorem.

Iis autem qui omnem Romanorum metricam rhythmicamque orationem a Cicerone, hoc est a Graecis, originem trahere putent, hoc dandum non esse, iam supra exposui. Duo enim scriptorum genera distinximus[1]) numeris: ad alterum eos adscripsimus qui clausulis —◡◡—⏓ et ——◡◡⏓ frequenter uti student, alterum Ciceronianum. Cicero enim hos ordines vitat aliisque delectatur, atque ceteris exstitit exemplum, ita ut quo essent posteriores aetate, eo pauciores iis ordines ad clausulam aptae viderentur esse. Quaeri autem potest fueritne etiam tertium genus, quod etsi numerum Ciceronianum habeat fundamentum, a Graecis quoque nonnullas mutuatum sit clausulas. Quod est negandum. Quantum enim adhuc liceat videre, eaedem, ut universe loquar, apud omnes posteriores clausulae sunt frequentes quae apud Ciceronem, quaeque ab

1) Cf. p. 11.

hoc vitantur, eaedem fere ab illis. Neque enim illos ordines, Graecis hellenistica aetate communes ◡◡◡— vel —◡◡—◡◡, quibus non utitur Cicero, adhibere illorum ausus est quisquam. Neque hic ordo ɷ́ ɷ ɷ ɷ́ ɷ ɷ, qui ex metrico rhythmicus factus (ésse dedúcitur, vel *εὐφροσύνης ἐντίκτοντα*) apud Graecorum posteriorum nonnullos frequenter occurrit, ab ullo postremae illius aetatis, qua non iam metrice sed rhythmice scribere studebant, adhibetur. Ex quo illud efficitur, ut illae clausulae Graecae quibus potissimum Graecus numerus oratorius a numero Ciceronis differat, apud Romanos etiam postremae aetatis desint. Neque rursus hic ordo: —◡——————, qui cum clausulis —◡—————— et —◡——◡—◡ Ciceronianis cohaeret, apud Apuleium autem frequens est, apud Graecorum quemquam occurrit. Unde illud efficitur, ut illae clausulae apud Romanos obviae, quibus utendis a Graeco numero oratorio Romanorum imperatoriae aetatis numerus differt, a Ciceronis usu peculiari originem ducere videantur.

Sequitur ut quaeramus, tantumne valuerint leges rhythmi Latinae linguae posterioris aetatis, ut ad earum normas cursus ille Graecus directus sit necne. Quae nonnullorum doctissimorum opinio [1]) plane est reicienda. Nam apud Graecos Himerii orationum sententiae in ordines rhythmicos cadere solent terminarique iam tum, cum nullus adhuc Romanus rhythmum illum accentuum curat. Huc accedit, quod rhythmus ille Latinus accentuum rhythmusque Graecus multum inter se differunt, idque hoc modo, ut quae Latini rhythmi sint propria, e metrica oratione Latina, quae autem Graeci rhythmi sint propria, e Graecorum clausula metrica orta esse manifeste appareat. Etenim Ammiani Marcellini rhythmicarum clausularum caesura metricarum Latinarum clausularum caesurae naturam conservat, neque cum caesuris Graecis (si ullae sunt) quicquam habet commune; frequens apud eum hoc:

---

1) Cf. De Groot Handbook p. 132—138.

'nosse confingit' (∽́ ∽ ' ∽ ∽́ ∽), ut in his (XXVIII 5, 1 etc. ed. Clark): „labore compertus, plebi congressus, magister Severus, fulgore praestricti" etc.

Nec minus rhythmi Procopii Caesaraeensis vel Sophronii caesurae eae sunt, quae in rhythmum Latinum nullo modo cadere videantur, velut hoc Procopii:

ἐποίει ταῦτα᾽ ∽́ ∽ ' ∽́ ∽.

Apud Latinos enim tam clausula ∽́ ∽ ∽́ ∽ quam structura ∽́ ∽ ' ∽́ ∽ omnino deest.

Multis saeculis post compositionis exitum metricae Ciceronis elegantia denuo exstitit, postquam nova aetas eruditior et doctior antiquam illam humanitatem recuperare conata est. Quo tempore M. Antonius Muretus [1]) orationem primam sic orditur:

'Cum omnes mihi singulari quadam ac praecipua laude digni videntur (—⏑——⏑—⏑), qui in assequenda honestarum artium scientia operam et industriam suam collocant (—⏑——⏑—), tum ii praecipue qui veluti maiore quodam numinis afflatu perculsi, ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas (—⏑——⏑—), atque omnia studia contulerunt (—⏑—⏑). Nam si eorum omnium, quae in hac immensa rerum universitate cernuntur (—⏑,——⏑) unumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur (—⏑⏑—⏑—⏑); et animus noster, ad similitudinem divinitatis effictus (—⏑,——⏑), tanto perfectius est quanto propius ad illud ex quo ductus et propagatus est (—⏑——⏑—), exemplar accedit (—⏑,——⏑)' cet.

E quibus videre licet eum et pauciores quam ipsum magistrum clausulas adhibuisse, et his paucis usum esse multo quam illum frequentius et parum studuisse caesuris. Sed illam artem vere humanam renascentem vidit haec aetas; primus enim Carolus Zander eleganti nec non numerosa oratione felicissime audax ipsum Ciceronem aemulari videtur.

---

1) Zielinski, Clauselgesetz, p. 20 (Philol. S. B. IX p. 608.)

CAPUT QUINTUM.

Restat ut de via atque ratione numeri oratorii investigandi et de recentiorum iudiciis opinionibusque quae ad illum pertinent, disseram. Aliter enim alius naturam rationemque prosae numerosae perscrutandas esse contendit aliamque de his ipsis defendit sententiam. Qua in re memoria semper tenendum est unam esse rectam atque veram explorandi viam, comparandi videlicet cum sermone non artificioso numerosam orationem.

Bornecque. Iam vir doctissimus *Bornecque* utrum recte de hac re disputaverit an minus recte, primum videndum. Qui hanc sententiam profert:[1]: 'On dit qu' un texte est écrit en prose métrique, lorsque la forme métrique du dernier mot de chaque phrase détermine la forme métrique des mots qui précèdent le mot final'. Verba igitur postrema sententiae aliud ab alio secundum numerum syllabarum longitudinemque distinguit et hac fere ratione disponit[2]:

1. ferant 6. ferentibus cet.
2. ferantur
3. ferebantur
5. ferebamini

Quibus verbis quale verbum antecedere soleat, quaerit investigatque.

In his autem erravisse eum credo. Neque ullo modo cum prosa non metrica comparationem instituere dignatur, neque si verbi gratia huic verbo 'ferebantur' ⏑———⏑ antecedere solere talia verba: 'desunt, 'velint', invenerit, hunc verborum antecedentium delectum interpretari satis curat. Quem delectum nisi delectui clausularum metricarum non esse tribuendum satis constat. Ergo verbum

---

[1]) H. Bornecque, La prose métrique dans la corresp. de Cicéron (Thèse Paris 1898). Paris (Bouillon) 1898, p. 1.

[2]) Ibid. p. 3.

postremum ad antecedens verbum conformandum fere valere recte contendit. Cuius rei quae fuerit causa ex eius scriptis non satis apparet. Quam fuisse numerorum quendam delectum et ratio postulat et satis demonstrare rationes meae videntur. Cum enim ex Graecis multi clausularum metricarum delectum habuerint, caesuras autem omnino neglexerint, metricam syllabarum compositionem huius artis fundamentum fuisse pro certo habendum est. Ergo non modo iucunde cadit clausula, si voci 'vellent' verbum 'esse' praecedit hoc modo:

'esse vellent' —⏑—⏓,

sed etiam, si ita sententia terminatur:

'pertulisse' —⏑—⏓;

utroque enim modo in duos choreos aptissime cadit. Immerito igitur distinguit clausulam ,—⏑—⏑ (pertulisse) a clausula —⏑,—⏑; nec meliore iure separat hanc —⏑——,⏑ ab illa —⏑—,—⏑, itemque ab illis —⏑,——⏑ et —,⏑——⏑ et ,—⏑——⏑, quod non idem iis sit verbum postremum; quas omnes apte cadere constat. Quibus omnibus quin ordo syllabarum metricus —⏑——⏑ fundamentum sit, quis dubitet?

Sed etiam alia res Bornecqui sententiae obici potest. Non enim ad clausulam iudicandam sufficit investigare, quae verba verbo postremo antecedere soleant; hoc sane est magni momenti, non tamen minoris quaestio est utrum horum ipsorum postremorum verborum delectum habuerit scriptor necne. Quod eum effugiat necesse est, qui neque postremorum variae structurae metricae verborum quae sit frequentia curet, neque omnino in ulla re cum oratione dissoluta comparationem instituat. Velut si verbo 'referrentur' longam syllabam iterum iterumque antecedere solet, idcirco non efficitur ut

. . . —,⏑——⏑

apta sit clausula; si enim ipsum hoc verbum ⏑——⏑ sit vitatum in fine sententiae, fieri non potest quin etiam clausula quae tali verbo terminetur iucunda non sit.

Restat ut opinionem Bornecquianam memorem de

clausulae causa atque natura; quas in versuum vitatione credat consistere. Ait enim (p. 198): 'Je crois, d'ailleurs, comme M. Meyer, qu'on peut donner de la prose métrique une théorie simple: sans me flatter de l'avoir trouvée, je me hasarde à exposer celle que les faits m'ont suggérée... Le seul précepte que nous donnent, non seulement Cicéron, mais les autres grammairiens, est d'éviter que la fin d'une phrase ressemble à une fin de vers'.

Sufficit autem memoria tenere vitari tam clausulam —⏑⏑—⏓ quam ⏑⏑⏑⏑—⏓, tam ⏑⏑⏑⏑⏑⏑ quam ———————. Quas omnes versum constituere quis credat?[1])

Zielinski.

Nec minoris ponderis apud recentiores Zielinskii de hac re scripta fuerunt, cuius cum Bornecquio de clausula controversia doctissimos viros in duas partes dividere solet. Ita autem de hac re fere disserunt, tamquam aut illius aut huius sententia recte se habeat necesse sit, nec non ii qui pessime de clausularum doctrina in his tractandis rebus meruerunt, Bornecqui iudicium irridere solent. Quorum utrum sit stultius nescio.

Zielinskius autem ex Ciceronis orationibus collegit clausulas syllabarum modo quinque, modo sex, interdum septem vel plurium. Quam veram esse clausulae longitudinem quomodo invenerit nescio [2]). Sunt autem secundum eum 'verae' clausulae hae:

—⏑——⏑	23·3 %
—⏑——⏑—	11·1 %
————⏑—	7·2 %
—⏑——⏑—⏑	10·0 %
————⏑—⏑	8·7 %

---

1) Cf. tabulas.

2) Zielinski, Der Constructive Rhythmus, p. 5: 'Für die Clauseln der V-Classe führen alle drei Gesichtspunkte zu dem nämlichen Resultat; dadurch ist die Richtigkeit des Systems, das sie zu Grundformen erhebt, für jeder wissenschaftlich Denkenden über allen Zweifel gestellt (sic). Genügt hätte schon der erstgenannte, der morphologische Gesichtspunkt (sic); .....— und man wird einsehen, auf wie felsenfester Grundlage das System der oratorischen Rhythmik ruht (sic).' Cf. totum contextum.

quae omnes ex hac una clausula

— ⏓ — — ⏑ [— ⏑ — ....

originem trahere videantur; quam clausulam 'Integrationsklausel' appellat. Clausularum autem frequentiam eam esse ut quo magis ab illo uno ordine syllabarum ordo quis differat, eo minus sit frequens. Cum autem quo magis sit frequens clausula, eo aptior incundiorque ei videatur, illam clausulam

— ⏓ — — ⏑ [— ⏑ — ...

praeter alios numerose cadere contendit.

Quae ratiocinatio omnino improbanda est. Insitam enim quandam vel naturalem clausula quaeque habet frequentiam, quae in ipsa linguae natura atque in longarum et brevium syllabarum vicissitudine posita est. Quo magis autem ab hac frequentia linguae innata differt illa quā quamque clausulam esse frequentiā videmus, eo aut iucundior aut vitiosior clausula est habenda. Quae frequentia naturalis nisi e sermone non numeroso colligi non potest; quod omnino a *Zielinskio* neglectum est. Revera illae clausulae

—⏑——⏑

—⏑——⏑—

————⏑—

—⏑——⏑—⏑

————⏑—⏑

non omnes eodem favore fruuntur, ut comparatione mea tantummodo instituta apparere potuit, quo aliae quaedam quamvis infrequentiores: numerosior enim atque iucundior —⏑⏑—⏑—⏓; numerosior quam —⏑——⏑ atque —⏑——⏑— haec: —⏑⏑⏑—⏓ quamvis infrequentior[1]).

Quod primum. Deinde est monendum et in caesurarum frequentia et in clausularum longitudine iudicanda eum similiter erravisse comparatione sermonis non artificiosi neglecta. In hoc autem Bornecquium correxisse videtur quod

1) Cf. tabulas.

cum e.g. verbo postremo ⏑——⏑ antecedere solet aut — aut ⏑— aut ⏑⏑— aut —— aut —⏑— aut tale quid, id clausulae —⏑——⏑ iucunditati tribuendum esse censet: quam ut unam eandemque notionem atque numerum semper tractat.

Zander. Longe alio modo *Zander* vir clarissimus, de hac re solet disputare. Qui in libro de compositione prosae numerosae scripto rhythmum omnem iterandi congruentia contineri non semel asseverat [1]). Ergo nullum esse rhythmum ubi nulla sit iteratio. Qua in re verbi gratia has clausulas Ciceronianas inter se congruentes ducere videtur:

—⏑⏑—⏑
——⏑⏑—
⏑⏑———
————,

quarum unam sc. (⏑)⏑⏑——⏑, ad clausulam aptam haberi, alias, ut —⏑⏑—⏓ et ———— et ——⏑⏑— a Cicerone semper esse vitatas satis constat. Eandem igitur iis metricam vim esse quis credat? Qua de re haec perlegas (Eurhythmia III p. 45):

tŭ ut ullām fugām meditēre? /⏑⏑/⏓
tŭ ut ūll(um) exílium cōgitēs? /—/⏑—/⏑\
utinām tib(i) īstam mēntem
d(i) īmmortālēs duīnt! /⏑\
tamētsi vídeo, /—/⏑—
sī meā vōce pērtērritūs, /⏑\
īr(e) in ēxili(um) ánim(um) indūxerīs, /⏑⏑/⏑——⏑/
quānta tēmpēstas īnvídiae nōbis /⏑—/—
si mínus in prāesens tempus, /—/⏓
recēntī memória scélerum tuōrum, /⏑—/⏓
at in pōsteritāt(em) impēndeāt. /⏑⏑/—/⏑⏓
sed ēst tānti dūm módo tu(a) īsta
sīt privāta cálamitās, / / /⏑/⏑⏑/
et ā rei pūblicāe perīculīs sēiungātur. /—/⏓
sed tŭ ut vitiīs tuīs cōmmoveāre, /—/⏓
ut lēgum pōenas pērtimēscas, /—/⏑/—
ūt tempóribus réi pūbli cāe cēdas, \ /⏑ ; \ /—
nōn est pōstulāndum. /—/⏑/⏓

[1]) Carolus Zander, Eurythmia I, p. 3; III p. 193 [2]).

In clausula igitur Ciceroniana tractanda primum agit de congruentia clausularum, atque tum demum de clausularum delectu. Delectum autem minoris momenti esse quam congruentiam, atque in hac quasi positum esse ducit. Quod nec probavit nec probabile videtur esse. Sed haec atque talia nisi numeris et rationibus et comparatione cum sermone non metrico instituenda probari ac demonstrari non possunt. Ergo aut certiorem illam suam de rhythmo doctrinam censet quam ut de ea dubitari possit, aut qua via ac ratione probari potuisset, non vidit.

Iam clausularum inter se congruentia et earundem delectus quomodo cohaereant, videndum. Qua in re dubitari non potest quin quo quis frequentior sit ordo syllabarum, eo saepius iteretur vel invito auctore. Si quis ergo delectum verborum talem habeat scriptor, ut nonnullis clausulis plurimum utatur, quid aliud expectandum quam ut eadem saepius iterentur? Ergo

1. si revera inest rhythmus in quaque syllabarum ordinis iteratione, clausularum delectum habeat scriptor qui rhythmice verba componere studeat omnino non est necesse;

2. si quis scriptor nonnullas clausulas adhibeat frequentiores, earundem clausularum iterationes frequentes esse expectandum est.

Quo cognito casu factum esse vix credemus, ut de iis potissimum scriptoribus agat, qui clausularum atque numerorum habuerint delectum, *aliis neglectis*, etsi ipse dicit (Eurythmia III p. 193[2])):

„Rythmicam dico eam clausulam, cuius rythmus membro eodem aut propinquo congruenter iteretur.

„Hoc loco neque alienum nec supervacaneum est haec tria commemorasse:

„primum hoc: quicunque de eurythmia disputat, ei rationem habendam esse clausularum rythmicarum, non ceterarum;

„deinde, non omnem prosam Ciceronis esse rythmicam: multa orationum, multa disputationum numero carent" cet.

At in illis multis orationum partibus non rhythmicis delectum sane clausularum habuit Cicero; scilicet non ut rhythmice scriberet, sed alia ex causa!

Thumb. Attamen primus Thumbius pro sua quidem sagacitate dixit diffidere se investigationibus clausularum, quod in iis *de numero totius sententiae* sermo non esset; quem prius esse investigandum quam aggredi liceret ad clausulam *Novotny.* explorandam. Quem et ego secutus sum et Novotny[1]), qui tamen hic etiam Bornecqui vestigiis insistere videtur. Nos tamen primum frequentiam certi cuiusdam ordinis syllabarum investigavimus in oratione pedestri tam omnino dissoluta quam numerosa, ut cognosceremus, qui ordines octo syllabarum dilecti essent, qui spreti. Deinde cum hanc ordinum frequentiam ad partes quae centesimae dicuntur redegissemus, perscrutati sumus, quoties certus quidam ordo apud scriptorem aliquem èt in ipsa periodo et in exeuntis periodi clausula occurreret. Tum demum apparebat, quibus clausulis *favere* auctor aliquis dici posset. Quae rationes meae et calculationes partim in appendice leguntur partim iam editae sunt in libro Anglice scripto, qui Antique Prose-rhythm inscribitur.

---

[1]) Cf. Berliner Philol. Wochenschrift 1917, col. 217.

TABULA ORDINUM SYLLABARUM.

1	⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑	33	⏑⏑⏑⏑⏑—⏑⏑	65	⏑⏑⏑⏑⏑⏑—⏑	97	⏑⏑⏑⏑⏑——⏑
2	—⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑	34	—⏑⏑⏑⏑—⏑⏑	66	—⏑⏑⏑⏑⏑—⏑	98	—⏑⏑⏑⏑——⏑
3	⏑—⏑⏑⏑⏑⏑⏑	35	⏑—⏑⏑⏑—⏑⏑	67	⏑—⏑⏑⏑⏑—⏑	99	⏑—⏑⏑⏑——⏑
4	——⏑⏑⏑⏑⏑⏑	36	——⏑⏑⏑—⏑⏑	68	——⏑⏑⏑⏑—⏑	100	——⏑⏑⏑——⏑
5	⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏑	37	⏑⏑—⏑⏑—⏑⏑	69	⏑⏑—⏑⏑⏑—⏑	101	⏑⏑—⏑⏑——⏑
6	—⏑—⏑⏑⏑⏑⏑	38	—⏑—⏑⏑—⏑⏑	70	—⏑—⏑⏑⏑—⏑	102	—⏑—⏑⏑——⏑
7	⏑——⏑⏑⏑⏑⏑	39	⏑——⏑⏑—⏑⏑	71	⏑——⏑⏑⏑—⏑	103	⏑——⏑⏑——⏑
8	———⏑⏑⏑⏑⏑	40	———⏑⏑—⏑⏑	72	———⏑⏑⏑—⏑	104	———⏑⏑——⏑
9	⏑⏑⏑—⏑⏑⏑⏑	41	⏑⏑⏑—⏑—⏑⏑	73	⏑⏑⏑—⏑⏑—⏑	105	⏑⏑⏑—⏑——⏑
10	—⏑⏑—⏑⏑⏑⏑	42	—⏑⏑—⏑—⏑⏑	74	—⏑⏑—⏑⏑—⏑	106	—⏑⏑—⏑——⏑
11	⏑—⏑—⏑⏑⏑⏑	43	⏑—⏑—⏑—⏑⏑	75	⏑—⏑—⏑⏑—⏑	107	⏑—⏑—⏑——⏑
12	——⏑—⏑⏑⏑⏑	44	——⏑—⏑—⏑⏑	76	——⏑—⏑⏑—⏑	108	——⏑—⏑——⏑
13	⏑⏑——⏑⏑⏑⏑	45	⏑⏑——⏑—⏑⏑	77	⏑⏑——⏑⏑—⏑	109	⏑⏑——⏑——⏑
14	—⏑——⏑⏑⏑⏑	46	—⏑——⏑—⏑⏑	78	—⏑——⏑⏑—⏑	110	—⏑——⏑——⏑
15	⏑———⏑⏑⏑⏑	47	⏑———⏑—⏑⏑	79	⏑———⏑⏑—⏑	111	⏑———⏑——⏑
16	————⏑⏑⏑⏑	48	————⏑—⏑⏑	80	————⏑⏑—⏑	112	————⏑——⏑
17	⏑⏑⏑⏑—⏑⏑⏑	49	⏑⏑⏑⏑——⏑⏑	81	⏑⏑⏑⏑—⏑—⏑	113	⏑⏑⏑⏑———⏑
18	—⏑⏑⏑—⏑⏑⏑	50	—⏑⏑⏑——⏑⏑	82	—⏑⏑⏑—⏑—⏑	114	—⏑⏑⏑———⏑
19	⏑—⏑⏑—⏑⏑⏑	51	⏑—⏑⏑——⏑⏑	83	⏑—⏑⏑—⏑—⏑	115	⏑—⏑⏑———⏑
20	——⏑⏑—⏑⏑⏑	52	——⏑⏑——⏑⏑	84	——⏑⏑—⏑—⏑	116	——⏑⏑———⏑
21	⏑⏑—⏑—⏑⏑⏑	53	⏑⏑—⏑——⏑⏑	85	⏑⏑—⏑—⏑—⏑	117	⏑⏑—⏑———⏑
22	—⏑—⏑—⏑⏑⏑	54	—⏑—⏑——⏑⏑	86	—⏑—⏑—⏑—⏑	118	—⏑—⏑———⏑
23	⏑——⏑—⏑⏑⏑	55	⏑——⏑——⏑⏑	87	⏑——⏑—⏑—⏑	119	⏑——⏑———⏑
24	———⏑—⏑⏑⏑	56	———⏑——⏑⏑	88	———⏑—⏑—⏑	120	———⏑———⏑
25	⏑⏑⏑——⏑⏑⏑	57	⏑⏑⏑———⏑⏑	89	⏑⏑⏑——⏑—⏑	121	⏑⏑⏑————⏑
26	—⏑⏑——⏑⏑⏑	58	—⏑⏑———⏑⏑	90	—⏑⏑——⏑—⏑	122	—⏑⏑————⏑
27	⏑—⏑——⏑⏑⏑	59	⏑—⏑———⏑⏑	91	⏑—⏑——⏑—⏑	123	⏑—⏑————⏑
28	——⏑——⏑⏑⏑	60	——⏑———⏑⏑	92	——⏑——⏑—⏑	124	——⏑————⏑
29	⏑⏑———⏑⏑⏑	61	⏑⏑————⏑⏑	93	⏑⏑———⏑—⏑	125	⏑⏑—————⏑
30	—⏑———⏑⏑⏑	62	—⏑————⏑⏑	94	—⏑———⏑—⏑	126	—⏑—————⏑
31	⏑————⏑⏑⏑	63	⏑—————⏑⏑	95	⏑————⏑—⏑	127	⏑——————⏑
32	—————⏑⏑⏑	64	——————⏑⏑	96	—————⏑—⏑	128	———————⏑

RATIONES variorum ordinum syllabarum.

Ordines syllabarum	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII	XIII
	In *Gregorii* Nysseni *versione* latina. Migne XLVI. Clausula. Summa M.	Apud *Sallustium* in Catil. Periodi numeri. Summa DC.	Apud *Sallustium* in Jugurth. bell. Periodi numeri. Summa D.	Apud *Sallustium* in Catil. Clausula. Summa D.	Apud *Sallustium* in Jugurth. bell. Clausula. Summa D.	Apud *Livium* in libro IV. Periodi numeri. Summa M.	Apud *Livium* in libro XLII. Periodi numeri. Summa M.	Apud *Livium* in libro IV. Clausula. Summa M.	Apud *Livium* in libro XLII. Clausula. Summa M.	Apud *Ciceronem* in or. pro. S. Roscio habita. Periodi numeri. Summa M.	Apud *Ciceronem* in disp. Tuscul. I. Periodi numeri. Summa M.	Apud *Ciceronem*. Clausula *). Summa M.	Apud Tacitum in Agricola. Clausula. Summa CC.
1 ⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏓		2		1	1		1				2		
2 —⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏓				2		1			1	1		1	
3 ⏑—⏑⏑⏑⏑⏑⏓	1	2	2	3	1	1	1		1	3	1		
4 ——⏑⏑⏑⏑⏑⏓		3	1	2	1	2	1	2	1	2	2		
5 ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏒		3		1			2	1	1	3			
6 —⏑—⏑⏑⏑⏑⏓	1	2	1	2	1	3	4		2	2	2	1	
7 ⏑——⏑⏑⏑⏑⏓	2	3		3			2		2	3		1	
8 ———⏑⏑⏑⏑⏓	5	3	1	3	3	2	4	6	4	3			
9 ⏑⏑⏑—⏑⏑⏑⏓		2		3		2	1	2	1	1	1		
10 —⏑⏑—⏑⏑⏑⏓	4	5	3	2	2	2	1	2	2	5	2	2	1
11 ⏑—⏑—⏑⏑⏑⏓	2	4	4	1	2		3	1	2	2	3		
12 ——⏑—⏑⏑⏑⏓	1		2	2	2	7	4	7	2	4	3	3	1
13 ⏑⏑——⏑⏑⏑⏓	1	1	4	1		1	3		2		5	1	1
14 —⏑——⏑⏑⏑⏓	6	3	1	5	1	3	2	8	8	3	8	3	2
15 ⏑———⏑⏑⏑⏓	4	5	1	1	2	3	4	3	5	1	2	7	
16 ————⏑⏑⏑⏓	5	1	2	2	2	4	3	3	2	11	8	4	
17 ⏑⏑⏑⏑—⏑⏑⏓		2	4	1		1	2	1	1		3	1	1
18 —⏑⏑⏑—⏑⏑⏓	2	1	2		2	1	3	2	1	3	1		1
19 ⏑—⏑⏑—⏑⏑⏓	4	5	2	1	6	5	1	4	1	3	1	1	2
20 ——⏑⏑—⏑⏑⏓	6	5	5	3	2	2	4	3	7	4	3	3	1
21 ⏑⏑—⏑—⏑⏑⏓	5	10	2		3	1	4	1	2	1	3	5	
22 —⏑—⏑—⏑⏑⏓	5	5	2	3	2	5	5	6	7	5	4	7	1
23 ⏑——⏑—⏑⏑⏓	5	3	3	1	3	5	5	6	3	2	5	4	3
24 ———⏑—⏑⏑⏓	6	3	4	1	1	8	9	10	8	9	10	12	6
25 ⏑⏑⏑——⏑⏑⏓	5	3	1	3	2	4	1	3	4	1	2	1	1
26 —⏑⏑——⏑⏑⏓	4	2	5	6	3	10	5	7	7	2	5	2	
27 ⏑—⏑——⏑⏑⏓	5	4	4	4	9	4	10	5	10	3	5	2	1
28 ——⏑——⏑⏑⏓	6	2	5	8	7	13	7	13	33	15	13	6	4
29 ⏑⏑———⏑⏑⏓	3	3	3	5	4	2	6	10	9	6	6	1	1
30 —⏑———⏑⏑⏓	4	10	6	8	11	2	10	24	16	5	7	4	4
31 ⏑————⏑⏑⏓	9	3	4	8	6	5	4	18	21	11	10		2
32 —————⏑⏑⏓	13	5	7	3	5	17	14	22	23	9	11	2	
33 ⏑⏑⏑⏑⏑—⏑⏓			2	2	1			2		1	3	1	1
34 —⏑⏑⏑⏑—⏑⏓	3	2	1	1			4				2		1

*) Pro S. Roscio; in Q. Caecilium divinatio; in C. Verrem, act. II, l. IV.

	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII	XIII
35 ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	4	2	1		2	3	1	1	2	3	3	2	
36 — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	6	1	3	2	3	4	2	2		5	5	2	
37 ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	1	4	3	1	3		2		1	2	4	5	
38 — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	5	6	2	1	5	5	4	2	5	5	8	1	1
39 ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	2	3	4	4	2	5	2	4	2	3	3	2	1
40 — — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓	9	6	6	2	6	9	12	1	1	9	7	4	2
41 ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓	2	5	1	2		1				1		1	
42 — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓	4	3	3	1	1	7	3	6	1	4	4	2	6
43 ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓	2	3	2		1		1	7	2	5	3	4	
44 — — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓	5	2	2	2	2	7	8	6	8	6	8	4	1
45 ⏑ ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏓	5	2	3		1	5	6	2	3	8	9	3	1
46 — ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏓	10	6	7	3		17	1	12	1	3	10	8	3
47 ⏑ — — — ⏑ — ⏑ ⏓	8	3	4	1	1	9	3	7	6	10	4	8	3
48 — — — — ⏑ — ⏑ ⏓	10	4	8	5	4	14	15	12	11	13	8	19	1
49 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏓	3	3	1	2	2	3	4		2	3	1	4	
50 — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏓	4	4	2	5	6	2	6	2	2	3	5	14	
51 ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏓	4	3	4	2	2	4	5		2	3	6	10	
52 — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏓	7	4	7	3	6	13	11		2	13	10	13	1
53 ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏓	4	6	2	9	6	7	1	5	7	3	7	15	1
54 — ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏓	4	10	6	6	4	5	12	11	7	7	11	18	
55 ⏑ — — ⏑ — — ⏑ ⏓	5	9	4	11	9	5	8	9	10	9	9	19	6
56 — — — ⏑ — — ⏑ ⏓	10	5	4	10	9	27	16	22	11	18	13	31	4
57 ⏑ ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏓	6	4	1	3	2	5	7		2	7	6	4	1
58 — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏓	9	6	6	9	8	13	8	5	4	9	10	18	1
59 ⏑ — ⏑ — — — ⏑ ⏓	9	4	4	1	3	3	10	2	2	9	10	10	1
60 — — ⏑ — — — ⏑ ⏓	14	9	6	6	4	19	16	3	3	14	14	10	1
61 ⏑ ⏑ — — — — ⏑ ⏓	10	12	5	2	5	13	5	1	2	4	3	8	1
62 — ⏑ — — — — ⏑ ⏓	15	10	8	3	5	15	11	6	7	26	17	31	3
63 ⏑ — — — — — ⏑ ⏓	14	11	5	5	10	20	16		2	13	19	24	3
64 — — — — — — ⏑ ⏓	19	5	9	8	11	23	33	9	6	19	21	34	2
65 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	1	2							1	1	4	1	
66 — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	3	6	3			2	2			4	1	5	
67 ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	3	1	3	2	2	3	4	3	4	2	7	3	
68 — — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	4		2	1		1	2	2	3	4	5	1	
69 ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	3	1		1	1	3	2	2	2	3	2	8	
70 — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	7	3	3	2		9	2	2	4	3	6	17	
71 ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	6	2	3	1	1	3	2	3			7	7	
72 — — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓	12	2	5	1	3	6	5	7	7	9	10	15	
73 ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓	3	4	3	4	7		5	3	7	2	5	1	
74 — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓	11	6	3	6	4	6	5	6	10	2	10	2	1
75 ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓	9	4	5	11	9		2	5	10	4	4	4	2
76 — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓	10	4	10	13	9	15	9	11	11	9	16		
77 ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏓	3	4	3	1	4	8	11	5	4	3	7	2	
78 — ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏓	20	11	7	9	13	8	8	13	16	15	8	3	1
79 ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏓	15	5	4	8	7	12	7	12	18	10	4	4	3
80 — — — — ⏑ ⏑ — ⏓	14	7	6	7	8	14	7	24	15	8	13	3	4
81 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏓	5	1	6	4		1	1		2	2	1		
82 — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏓	4	4	3	3		5	3	1	3	5	6	5	
83 ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏓	7	7	2	4	1	2	3		3	4	3	12	1
84 — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏓	11	8	4	2	3	5	6	4	7	8	7	22	
85 ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏓	4	2	3	1	1	4	5	4	3	4	7		4

		I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII	XIII
86	—⏑—⏑—⏑—⏓	10	2	5	1	2	6	8	5	6	7	6	3	1
87	⏑——⏑—⏑—⏓	11	4	2	1	1	12	9	5	6	8	13	7	1
88	———⏑—⏑—⏓	19	5	4	2	3	8	12	8	6	14	9	7	1
89	⏑⏑⏑——⏑—⏓	8	5	2		2	5	3	2	2	5	5	13	2
90	—⏑⏑——⏑—⏓	16	4	7	6	1	10	4	5	8	11	12	22	2
91	⏑—⏑——⏑—⏓	15	5	5	6	6	8	8	4	8	7	9	18	1
92	——⏑——⏑—⏓	17	14	6	8	1	20	15	16	18	12	11	32	3
93	⏑⏑———⏑—⏓	12	10	8	6	1	4	10	7	4	10	6	14	2
94	—⏑———⏑—⏓	22	5	6	6	2	14	19	9	19	21	11	21	4
95	⏑————⏑—⏓	13	7	3	7	4	13	16	19	8	17	17	30	5
96	—————⏑—⏓	15	6	11	4	2	21	23	25	21	26	18	47	6
97	⏑⏑⏑⏑⏑——⏓	4	2	3	1	1		3	2	3	4	2	3	
98	—⏑⏑⏑⏑——⏓	5	5	4		5		4	6	5	6	5	2	
99	⏑—⏑⏑⏑——⏓	6	5	2	4	3	2	3	9	2	3	8	9	
100	——⏑⏑⏑——⏓	5	2	2	4	5	4	6	3	1	5	11	15	1
101	⏑⏑—⏑⏑——⏓	2	5	2	4	2	6	8	1	5	2	4	2	1
102	—⏑—⏑⏑——⏓	5	10	1	6	5	9	10	12	7	8	11	9	4
103	⏑——⏑⏑——⏓	3	3	2	6	6	8	8	11	8	14	12	1	2
104	———⏑⏑——⏓	4	9	6	7	4	13	8	10	11	9	15	2	
105	⏑⏑⏑—⏑——⏓	4	1	2	1	2	3	3	3	3	5	7	8	
106	—⏑⏑—⏑——⏓	13	7		1	3	8	15	10	3	8	6	12	1
107	⏑—⏑—⏑——⏓	8	3	4	1	2	2	11	4	2	6	8	14	2
108	——⏑—⏑——⏓	15	3	6	1	3	15	16	15	6	13	12	25	3
109	⏑⏑——⏑——⏓	4	4	6	4	3	12	7	3	2	8	11	21	1
110	—⏑——⏑——⏓	11	6	7	2	2	15	13	5	10	16	16	20	4
111	⏑———⏑——⏓	8	6	6	1	8	14	16	12	9	21	9	23	1
112	————⏑——⏓	19	14	9	7	3	30	29	17	11	31	18	39	3
113	⏑⏑⏑⏑———⏓	4	2	2	1	5	3	3	3	5	6	8	1	
114	—⏑⏑⏑———⏓	10	4	7	7	3	8	10	8	11	5	6	2	7
115	⏑—⏑⏑———⏓	10	6	2	3	8	6	7	9	14	7	4	4	2
116	——⏑⏑———⏓	21	12	5	8	4	15	14	21	18	14	9	3	3
117	⏑⏑—⏑———⏓	15	2	3	8	5	8	7	8	8	10	10	4	2
118	—⏑—⏑———⏓	15	8	5	10	10	9	14	21	14	11	14	5	5
119	⏑——⏑———⏓	8	3	11	9	11	11	22	26	22	16	8	7	5
120	———⏑———⏓	23	6	9	11	20	27	22	38	40	34	23	7	6
121	⏑⏑⏑————⏓	9	6	7	4	9	8	5	10	8	4	8	2	3
122	—⏑⏑————⏓	15	6	5	4	4	18	18	17	15	12	12	3	3
123	⏑—⏑————⏓	15	4	2	10	12	6	13	14	18	14	7	5	2
124	——⏑————⏓	15	7	11	10	20	27	24	41	33	32	26	10	4
125	⏑⏑—————⏓	10	7	7	10	7	17	12	19	16	12	9		2
126	—⏑—————⏓	19	9	7	6	9	22	30	34	50	19	28	2	2
127	⏑——————⏓	19	10	6	4	5	27	22	36	40	17	15	4	1
128	———————⏓	29	10	6	10	6	41	40	52	61	27	22	5	6

SALLUSTIUS.

Ordines syllabarum.		Catil. Numeri periodi %	Jug. bell. Numeri periodi %	Catil. Clausula %	Jug. bell. Clausula %	Summa numerorum periodi %	Summa clausula-rum %	Quotiens.
1–8	⏑⏑⏑⏑⏓	3·0	1·0	3·4	1·4	2·0	2·4	1·2(+)
9–16	—⏑⏑⏑⏓	3·5	3·4	3·4	2·2	3·5	2·8	1·3(–)
17–24	⏑—⏑⏑⏓	5·7	4·8	2·0	3·8	5·3	2·9	1·8(–)
25–32	——⏑⏑⏓	5·3	7·0	**9·0**	**9·4**	6·2	9·2	1·5(+)
33–40	⏑⏑—⏑⏓	4·0	4·4	2·6	4·4	4·2	3·5	1·2(–)
41–48	—⏑—⏑⏓	4·7	6·0	2·8	2·0	5·4	2·4	2·3(–)
49–56	⏑——⏑⏓	7·3	6·0	9·6	8·8	6·7	9·2	1·4(+)
57–64	———⏑⏓⏑	10·2	8·8	7·4	9·6	9·5	8·5	1·1(–)
65–72	⏑⏑⏑—⏓	2·8	3·8	1·6	1·4	3·3	1·5	2·2(–)
73–80	—⏑⏑—⏓	7·5	8·2	**11·8**	**12·2**	7·9	12·0	1·5(+)
81–88	⏑—⏑—⏓	5·5	5·8	*3·6*	*2·2*	5·7	2·9	2·0(–)
89–96	——⏑—⏓	9·3	9·6	*8·6*	*3·8*	9·5	6·2	1·5(–)
97–104	⏑⏑——⏓	6·8	4·4	6·4	6·2	5·6	6·3	1·1(+)
105–112	—⏑——⏓	7·3	8 0	*3·6*	*5·2*	7·7	4·4	1·8(–)
113–120	⏑———⏓	7·2	8·8	**11·4**	**13·2**	8·0	12·3	1·5(+)
121–128	————⏓	9·8	10·2	**11·6**	**14·4**	10·0	13·0	1·3(+)

LIVIUS.

Ordines syllabarum.		Lib. IV. Numeri periodi	Lib. XLII Numeri periodi	Lib. IV Clausulae	Lib. XLII Clausulae	Summa numerorum periodi	Summa clausularum	Quotiens.
1–8	⏑⏑⏑⏑⏓	0·9	1·5	0·9	1·2	1·2	1·1	1·1(–)
9–16	—⏑⏑⏑⏓	2·2	2.1	2·6	2·4	2·2	2·5	1·1(+)
17–24	⏑—⏑⏑⏓	2·8	3·3	3·3	3·0	3·1	3·2	1·0(+)
25–32	——⏑⏑⏓	5·7	5·7	10·2	12·3	5·7	11·3	2·0(+)
33–40	⏑⏑—⏑⏓	2·6	2·7	1·2	1·1	2·7	1·2	2·3(–)
41–48	—⏑—⏑⏓	6·0	3·7	5·2	3·2	4·9	4·2	1·2(–)
49–56	⏑——⏑⏓	6·6	6·3	4·9	4·3	6·5	4·6	1·7(–)
57–64	———⏑⏓	11·1	10·6	2·6	2·8	10·9	2.7	4·0(–)
65–72	⏑⏑⏑—⏓	2·7	1·9	1·9	2·1	2·3	2·0	1·2(–)
73–80	—⏑⏑—⏓	6·3	5·4	7·9	9·1	5·9	8·5	1·4(+)
81–88	⏑—⏑—⏓	4·3	4·7	2·7	3·6	4·5	3·2	1·4(–)
89–96	——⏑—⏓	9·5	9·8	8·7	8·8	9·7	8·8	1·1(–)
97–104	⏑⏑——⏓	4·2	5·0	5·4	4·2	4·6	4·8	1·0(+)
105–112	—⏑——⏓	9·9	11·0	6·9	4·6	10.5	5·8	1·8(–)
113–120	⏑———⏓	8·7	9·9	13·4	13·2	9·3	13·3	1·4(+)
121–128	————⏓	16·6	16·4	22·3	24·1	16·5	23·2	1·4(+)

CICERO.

Ordines syllabarum.		Or. pro Sexto Roscio. Numeri periodi	Disp. Tusc. I. Numeri periodi	Pro Sexto Roscio; in Q. Caecilium Divinatio; in C. Verrem act. II, l. IV. Clausula	Summa numerorum periodi	Summa clausularum	Quotiens.
1—8	⏑⏑⏑⏑⏓	1·7	0·7	0·3	1·2	0·3	2·5(—)
9—16	—⏑⏑⏑⏓	2·7	3·2	2·0	3·0	2·0	1·5(—)
17—24	⏑—⏑⏑⏓	2·7	3·0	3·3	2·9	3·3	1.1(+)
25—32	——⏑⏑⏓	5·2	5·9	1·8	5·6	1·8	3·1(—)
33—40	⏑⏑—⏑⏓	2·7	3·5	1·7	3·1	1·7	1·8(—)
41—48	—⏑—⏑⏓	5·0	4·6	4·9	4·8	4·9	1·0(+)
49—56	⏑——⏑⏓	5·9	6·7	12·4	6·3	12·4	2·0(+)
57—64	———⏑⏓	10·1	10·0	13·9	10·1	13·9	1·4(+)
65—72	⏑⏑⏑—⏓	2·6	4·2	5·7	3·4	5·7	1·7(+)
73—80	—⏑⏑—⏓	5·3	6·7	1·9	6·0	1·9	3·2(—)
81—88	⏑—⏑—⏓	5·2	5·2	5·6	5·2	5·6	1·1(+)
89—96	——⏑—⏓	10·9	8·9	19·7	9·9	19·7	2·0(+)
97—104	⏑⏑——⏓	5·1	6·8	4·3	6·0	4·3	1·4(—)
105—112	—⏑——⏓	10·8	8·7	16·2	9·8	16·2	1·6(+)
113—120	⏑———⏓	10·3	8·2	3·3	9·3	3·3	2·8(—)
121—128	————⏓	13·7	12·7	3·1	13·2	3·1	4·3(—)

SALLUSTIUS.

Ordines syllabarum.		Numeri periodi	Clausulae	Quotiens			Numeri periodi	Clausulae	Quotiens
					97—100	⏑⏑⏑——⏓	2·3	2·3	1·0
53—56	—⏑——⏑⏓	4·1	6·4	1·6(+)	57—64	———⏑⏓	9·5	8·5	1·1(—)
25—32	——⏑⏑⏓	6·2	9·2	1·5(+)	33—40	⏑⏑—⏑⏑	4·2	3·5	1·2(—)
73—80	—⏑⏑—⏓	7·9	12·0	1·5(+)	9—16	—⏑⏑⏑⏓	3·5	2·8	1·3(—)
113—128	———⏓	18·0	25·3	1·4(+)	81—96	—⏑—⏓	15·2	9·1	1·7(—)
1—8	⏑⏑⏑⏑⏓	2·0	2·4	1·2(+)	17—24	—⏑—⏑⏑⏓	5·3	2·9	1·8(—)
101—104	—⏑⏑——⏓	3·4	4·0	1·2(+)	105—112	—⏑——⏓	7·7	4·4	1·8(—)
49—52	⏑⏑——⏑⏑	2·6	2·8	1·1(+)	65—72	⏑⏑⏑—⏓	3·3	1·5	2·2(—)
					41—48	—⏑—⏑⏓	5·4	2·4	2·3(—)

LIVIUS.

Ordines syllabarum.		Numeri periodi	Clausulae	Quotiens			Numeri periodi	Clausulae	Quotiens
25–32	– – ⏑ ⏑ ⏓	5·7	11·3	2·0(+)	1–8	⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓	1·2	1·1	1·1(–)
97–100	⏑ ⏑ ⏑ – – ⏓	1·1	1·6	1·5(+)	41–48	– ⏑ – ⏑ ⏓	4·9	4·2	1·2(–)
113–128	– – – ⏓	25·8	36·5	1·4(+)	65–72	⏑ ⏑ ⏑ – ⏓	2·3	2·0	1·2(–)
73–80	– ⏑ ⏑ – ⏓	5·9	8·5	1·4(+)	81–88	⏑ – ⏑ – ⏓	4·5	3·2	1·4(–)
9–16	– ⏑ ⏑ ⏑ ⏓	2·2	2·5	1·1(+)	105–112	– ⏑ – – ⏓	10·5	5·8	1·8(–)
17–24	– ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓	3·1	3·2	1·0(+)	33–40	⏑ ⏑ – ⏑ ⏓	2·7	1·2	2·3(–)
53–56	– ⏑ – – ⏑ ⏓	4·1	4·1	1·0(+)	57–64	– – – ⏑ ⏓	10·9	2·7	4·0(–)
89–96	– – ⏑ – ⏓	9·7	8·8	1·1(–)	49–52	⏑ ⏑ – – ⏑ ⏓	2·4	0 5	4·8(–)
101–104	– ⏑ ⏑ – – ⏓	3·5	3·3	1·1(–)					

CICERO.

Ordines syllabarum.		Numeri periodi	Clausulae	Quotiens			Numeri periodi	Clausulae	Quotiens
83–84	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓	1·1	3·4	3·1(+)	41–48	– ⏑ – ⏑ ⏓	4·8	4·9	1·0(+)
49–50	⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏓	0·6	1·8	3·0(+)	57–60	⏑ – – – ⏑ ⏓	4·0	4 2	1·0(+)
89	⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏓	0·5	1·3	2·6(+)	82	– ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓	0·6	0·5	1·2(–)
91–92	– ⏑ – – ⏑ – ⏓	2·0	5·0	2·5(+)	65–68	⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏓	1·4	1 0	1·4(–)
69–72	– ⏑ ⏑ ⏑ – ⏓	2·0	4·7	2·4(+)	19–20	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓	0·6	0·4	1·5(–)
53–56	– ⏑ – – ⏑ ⏓	4·1	8·3	2·0(+)	1–16	⏑ ⏑ ⏑ ⏓	4·2	2·3	1·8(–)
95–96	– – – – ⏑ – ⏓	3·9	7·7	2·0(+)	85–88	– ⏑ – ⏑ – ⏓	3·4	1·7	2·0(–)
90	– ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏓	1·2	2·2	1·8(+)	37–40	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓	2·1	1·0	2·1(–)
48	– – – – ⏑ – ⏑ ⏓	1·1	1·9	1·8(+)	33–36	⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓	1·1	0·5	2·2(–)
61–64	– – – – ⏑ ⏓	6·1	9·7	1·6(+)	101–104	– ⏑ ⏑ – – ⏓	3·8	1·4	2·7(–)
105–112	– ⏑ – – ⏓	9·8	16·2	1·6(+)	113–120	⏑ – – – ⏓	9·3	3.3	2·8(–)
93–94	⏑ – – – ⏑ – ⏓	2·4	3.5	1·5(+)	25–32	– – ⏑ ⏑ ⏓	5·6	1·8	3·1(–)
21–24	– ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓	2 0	2·8	1·4(+)	73–80	– ⏑ ⏑ – ⏓	6·0	1·9	3·2(–)
51–52	– ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏓	1·6	2·3	1·4(+)	17–18	⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓	0·4	0·1	4·0(–)
97–100	⏑ ⏑ ⏑ – – ⏓	2·2	2·9	1·3(+)	121–128	– – – – ⏓	13·2	3·1	4·3(–)
46	– ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏓	0·7	0·8	1·2(+)	81	⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓	0·3	0·0	∾ (–)

NONNULLORUM ORDINUM FREQUENTIA.

Ordines syllabarum.		Numeri periodi.			Clausulae.		
		Sallustius	Livius	Cicero	Sallustius	Livius	Cicero
81–96	— ⏑ — ⏓	15·2	14·2	15·1	9·1	12·0	**25·3**
113–128	— — — ⏓	18·0	25·8	22·5	25·3	**36·5**	6·4
25–32	— — ⏑ ⏑ ⏓	6·2	5·7	5·6	**9·2**	**11·3**	1·8
73–80	— ⏑ ⏑ — ⏓	7·9	5·9	6·0	**12·0**	**8·5**	1·9
105–112	— ⏑ — — ⏓	7·7	10·5	9·8	4·4	5·8	**16·2**
53–56	— ⏑ — — ⏑ ⏓	4·1	4·1	4·1	**6·4**	4·1	**8·3**
41–48	— ⏑ — ⏑ ⏓	5·2	4·9	4·8	2·4	4·2	4·9

CONFORMATIO CLAUSULAE —⏑—— —⏑ (105–112).

	Gregorius	Sallustius	Livius	Cicero (Zielinski)	Gregorius	Sallustius	Livius	Cicero (Zielinski)
—⏑——,⏑	1		1		1·2%		2·0	1·0
—⏑—,—⏑	9	4	14		11·0	9·5	28·0	10·2
—⏑,——⏑	27	15	6		**32·9**	**35·7**	**12·0!**	**49·2**
—,⏑——⏑	24	11	15		29·2	26·2	**30·0**	27·2
,—⏑——⏑	6	8	5		7·3	19·1	10·0	} 12·4
. . . —⏑——⏑	2	1			2·4	2·4		}
—⏑,—,—⏑	1				1·2			
—⏑,——,⏑	2		1		2·4		2·0	
—,⏑——,⏑	2	1	4		2·4	2·4	8·0	
—⏑,—,—⏑	1		1		1·2		2·0	
—,⏑—,—⏑	5	2	2		6·1	4·8	4·0	
—,⏑,——⏑	2		1		2·4		2·0	

CONFORMATIO CLAUSULAE —⏑———⏑— (53–56).

	Gregorius	Sallustius	Livius	Cicero (Zielinski)	Gregorius	Sallustius	Livius	Cicero (Zielinski)
—⏑———⏑,—								1·7%
—⏑——,⏑—	4		4		14·3%		10·3	11·1
—⏑—,—⏑—	2	5	12		9·5	15.6	**30·8**	33·3
—⏑,——⏑—	6	14	7		**28·6**	**43·7**	**17·9!**	**43·3**
—,⏑——⏑—			1				2·6	10·0
,—⏑——⏑—								} 0·4
. . . —⏑——⏑—								}
—,⏑—,—,⏑—	2				9·5			
—⏑—,—,⏑—		1				3·1		
—,⏑,——,⏑—	1	1			4·8	3·1		
—⏑,——,⏑—	1		7		4·8		17·9	
—,⏑——,⏑—	2	4	3		9·5	12·5	7·7	
—⏑,—,—⏑—	1	1			4·8	3·1		
—,⏑—,—⏑—	2	5	5		9·5	15·6	12·8	
—,⏑,——⏑—	2	1			9·5	3·1		
Summa formarum cum verbo postremo hoc: ,—⏑—	5	11	17		23.8%	34·4	43·6	33·3
Summa	23	32	39					

CONFORMATIO CLAUSULAE — — ⏑ ⏑ ⏓ (25—32).

	Gregorius	Sallustius	Livius	Gregorius	Sallustius	Livius
— — ⏑ ⏑, —	2			4·1		
— — ⏑, ⏑ —	4	3	1	8‘2	6·8	1·4
— —, ⏑ ⏑ —	11	16	34	22·4	**36·4**	**47·9**
—, — ⏑ ⏑ —	21	15	30	**42·9**	34·1	42·3
, — — ⏑ ⏑ —	3	2	3	6·1	4·5	4·2
. . . — — ⏑ ⏑ —		1			2·3	
—, —, ⏑ ⏑, —		1			2·3	
—, — ⏑ ⏑, —	1			2·0		
— —, ⏑, ⏑ —	2			4·1		
—, — ⏑, ⏑ —	3	4		6·1	9·1	
—, —, ⏑ ⏑ —	2	2	3	4·1	4·5	
Summa	49	47	71			

CONFORMATIO CLAUSULAE — ⏑ ⏑ — ⏓ (73—80).

	Gregorius	Sallustius	Livius	Gregorius	Sallustius	Livius
— ⏑ ⏑ —, ⏓	1	1	0	1·2%	1.8	
— ⏑ ⏑, — ⏓	4	6	11	4·7	**10·7**	**16·4**
— ⏑, ⏑ — ⏓	29	13	5	**34·1**	23·2	**7·5**
—, ⏑ ⏑ — ⏓	22	22	31	25·9	**39·3**	**46·3**
, — ⏑ ⏑ — ⏓	20	10	14	23·5	17·9	20·9
. . . — ⏑ ⏑ — ⏓						
—, ⏑, ⏑ —, ⏓	1			1·2		
—, ⏑ ⏑ —, ⏓	3		1	3·5		1·5
— ⏑, ⏑, — ⏑			1			1·5
—, ⏑ ⏑, — ⏑	1	3	3	1·2	5·4	4·5
, — ⏑ ⏑, — ⏑	1			1·2		
—, ⏑, ⏑ — ⏑	3	1	1	3·5	1·8	1·5
Summa	85	56	67			


TABULAE.

I.



Numeri periodi Ciceronis (—) cum Livii periodi numeris (......) comparantur; nulla fere inter eos differentia est.

II.




Numeri Ciceronis clausularum (—) cum Livii periodi numeris comparantur; multum inter eos interest.

III.

Livius, lib. IV.


Clausulae numerus (. . . .) cum periodi numero comparatur (Cf. Handbook p. 224 sqq.)



IV.

Livius, lib. XLII.


Ut supra.



V.

Livius, lib. IV.

Clausulae numerus (—) cum periodi numero (. . . . . .) comparatur.



VI.

Livius, lib. XLII.

Ut supra.

VII.

CICERO.

Clausula (......) cum periodi numeris (–) comparatur. (Vid. Handbook p. 226).

